



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117824**

§. 58. Epistolæ Vigilii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66066)

Sæculum VI. tus, in Insulam Palmariam delatus est,  
A.C. 538. ubi custoditus, & vigesima Julii, 538. inedia extinctus est, postquam Sacram Se-  
dem duobus annis tenuisset.

*Liber. Viii.  
Tun. Chr.* Tum Vigilius, ut, quod promiserat Imperatrici, efficeret, Antoninæ tradidit Epistolam ad Theodosium Alexandrinum, Anthimum Constantinopolitanum depositum & Severum Antiochenum datam, in qua profitetur, se eandem ac ipsos Fidem tenere, sed rogat ut hanc Epistolam secretam habeant, imo se ipsis suspe-ctum esse fingant. Cum hac Epistola misit Fidei suæ Confessionem, in qua duas in JEsu Christo Naturas & S. Leonis Epistolam rejiciebat, Anathema dicens illis, qui unam Personam & unam Essen-  
tiam non confiterentur. Nominatim Paulum Samosatenum, Diodorum Tar-  
fensem, Theodorum Mopsuestenum &  
Theodoreum anathematizat. Cum Hæ-  
reticis secreto scripsisset, Possessionem S.  
Sedis retinuit.

### §. LVIII. *Epistolæ Vigilii.*

*Ep. 4. p. 315.* Publice Vigilius nunquam non Fidem Catholicam professus, id ipsum da-  
tis ad Imperatorem Justinianum litteris authentice comprobavit. Imperator offensus quod Vigilius, Pontificatum au-  
spicatus, pro more sibi non scripsisset, nec Mennæ Patriarchæ Epistolæ, quæ Fi-  
dei

dei ipsius professionem continebat, re-Sæculum VI.  
spondisset, Fidem ejus suspectam habere A. C. 538.  
cœpit. Forte nec illud, quod secreto  
ad Schismaticos scripsferat, Justinianum  
latuit. Igitur Dominicum Patricium  
Romam mittit cum Epistolis, quibus con-  
ceptam de Papa suspicionem, &, quam  
arcte vera Fides sibi cordi sit, aperit. Vi-  
gilius Papa datis Responsoriis Imperato-  
ris Fidem prolixè laudat, & affirmat, non  
aliam se Fidem tenere, quam Anteces-  
sores sui Cœlestinus, Leo, Hormisdas,  
Joannes & Agapitus. Se quatuor Con-  
cilia & S. Leonis Epistolam recipere, at-  
que omnibus illis, qui contrarium cre-  
dunt, anathema dicere, nominatim Se-  
vero, Petro Apamiensi, Anthimo, Zoaræ  
& Theodosio Alexandrino. Cum vero  
hos viros jam satis damnatos sciret, non  
credidisse, opus esse, ut Mennæ hos ite-  
rum damnanti responderet. Tandem  
Imperatorem rogat, ut S. Sedis Præro-  
gativas tueatur, & non alios quam Viros  
Catholicos & omni exceptione majores  
ad se Romam mittat. Omnibus satis  
perspicuum est, hanc Epistolam nihil esse  
aliud, quam propriam Vigilii Papæ Apo-  
logiam, ut conceptam de se suspicionem  
ab Imperatore removeret.

Eodem tempore ad Mennam Patriar-  
cham dedit Epistolam, in qua eundem  
laudat, quod promisso Agapito Papæ  
dato in sua Ordinatione steterit quatuor

Oo 2      Con-

Ep. 5.

Sæculum VI. Concilia receperit, & Schismaticos ana-  
A. C. 538. thematizaverit. Ad calcem istarum dua-  
rum Epistolarum præter manum Vigilius  
Papæ etiam signum Dominici Patricii ap-  
politum decimo quinto Cal. Octobr. Justi-  
niano Consule id est 17. Sept. 540. visebatur.

Vig. ep. p.  
311. Baluz.  
nova Coll.  
p. 1472.

Interim Vigilius post suam Ordina-  
tionem Legitimus Papa habebatur; id  
enim apparet ex consultatione Profuturi  
Episcopi Bragensis in Lusitania, cui Vigi-  
lius 29. Junii Joanne Consule id est 538.  
rescrivit. (\*) Initio differit de Priscil-  
lianistis, qui a carnis superstitiose ab-  
stinebant, & concludit in hæc verba:  
*Abstinentiam, virtutem Deo acceptam,*  
*non vituperamus; illos vero damnamus,*  
c. 3. *qui Dei Creaturas detestantur.* Agit e-  
tiam de modo reconciliandi Arianos;  
nempe quia Goths Hispaniæ dominaban-  
tur, quorum aliqui semper converteban-  
tur. Dicit, Ecclesiam satis consecrari,  
si Missa ibi fuerit celebrata, etiamsi Aqua  
Benedicta non fuerit aspersa. Dicit  
quoque Ordinem precum in Missa semper  
esse eundem, si modicam Additionem in  
Festis principalioribus excipias. Vult  
dicere, quod Canon Missæ nunquam mu-  
tetur, si excipientur causæ peculiares,  
quæ post *Communicantes* inferuntur. In  
hac Epistola usus Aquæ Benedictæ abso-  
lute notatur.

c. 4.

c. 5.

Cum

(\*) In his verbis oculatissimus P. Balduinus  
malam Fleurii Fidem videre se putat.

Cum Theodebertus Francorum Rex Sæculum VI.  
 flagrante inter Romanos & Gothos bello copias misisset in Italiam, Vigilium  
 Papam a Moderico Legato suo consuli  
 iulit, qualem Pœnitentiam subire ille  
 deberet, qui uxorem fratris sui duxisset.  
 Papa præter Rescriptum ad Regem da-  
 tum etiam S. Cæsario Arelatensi in illius *Ep. 3. p. 314.*  
 Regis Ditione habitanti datis litteris  
 mandavit, ut in facti hujus circumstan-  
 tias, & Pœnitentis dispositionem inqui-  
 reret, deinde Regem edoceret, quantum  
 temporis ad illam Pœnitentiam requi-  
 reretur, & rogaret, ut hujusmodi scan-  
 dala in futurum præcaveret. Causa, quam  
 adducit Papa, cur istud negotium S. Cæ-  
 sario committat, notari meretur; *Mo-*  
*dus Pœnitentiae, inquit, arbitrio Episco-*  
*porum præsentium relinquendus est, ut*  
*pro majore vel minore compunctione Pœ-*  
*nitentis etiam Indulgentia concedi possit.*  
 Hæc Epistola 13. Martii anno 538. data est.

### §. LIX.

*Concilium Aurelianense tertium.*  
 Eodem anno septima Maji, seu Nonis  
 Mensis tertii, post Paulini junioris  
 Consulatum quarto, Regis Childeberti  
 vigesimo septimo, Episcopi Regni ipsius  
 Aureliae congregati Concilium celebra-  
 runt, quod tertium habetur. Condide-  
 runt triginta Canones. In primo decer-*v. Coint. att.*  
 nitur, Concilia singulis annis esse cele-*538. n. 9.*  
 bran-*Can. 3.*